

matam esse ait, antequam Mundus conderetur, hoc  
est, ab aeterno, quia ante creationem nullum Tem-  
pus, sed absoluta fuit aeternitas.

79. Quo respiciens Prophet a egressum Christi à  
diebus aeternitatis esse testatur. Mich. 5, 2. Et Chri-  
stus Ioh. 17, 5. ea se petit glorificari gloria, quam  
habuerit apud Patrem, priusquam hic mundus  
esset: Et Apostolus Christum nominat περιτο-  
νον πάσοντος κτίσεως, certè non humanae naturæ  
assumptæ, cui hoc propriè non competit, Sed divi-  
na respectu: ipso hoc fatente Apostolo, dum sub-  
iicit: Eum esse ante omnia, & omnia per eum con-  
dita esse & subsistere. Col. 1, 17.

80. Cæterū de Modo aeternæ hujus generatio-  
nis & olim quæsitus varie: & nostro etiam se-  
culo inter doctos graviter disceptatum fuit.

81. Fuerunt enim multi, & quidem magni no-  
minis Theologi, inter quos primas facile tenet Phi-  
lippus Melanthon, qui asseruerunt: Filium DEI  
cognitione à patre genitum esse, quâ Pa-  
ter sese intuens ac considerans genuerit  
quandam substantialem sibi imaginem,  
& permanentem: Sicut nostra mens acci-  
dentalis & evanescentis, nec tamen  
substantialem imaginem gignit.

82. Et præter alias causas, etiam ob hanc Filium  
DEI λόγον nominari contenderunt, quod Pater  
semetipsum intuens, gignat cognitionem sui,

G                    Quæ